

3 8

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED — HUNGARIA

SAEC. XV.

GALEOTTUS MARTIUS

CARMINA

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ



MCMXXXII.

HUNGARIA: KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

ITALIA: MESSAGGERIE ITALIANE, BONONIA

GERMANIA (ITEM CETERAE OMNES CIVITATES EUROPÆAE ET TRANSMARINAE):  
B. G. TEUBNER, LIPSIA

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED — HUNGARIA

SAEC. XV.

GALEOTTUS MARTIUS

CARMINA

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ



MCMXXXII.

HUNGARIA: KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

ITALIA: MESSAGGERIE ITALIANE, BONONIA

GERMANIA (ITEM CETERAE OMNES CIVITATES EUROPAEAEE ET TRANSMARINAE):  
B. G. TEUBNER, LIPSIA

Jq. kot  
114 942



## PRAEFATIO.

Carmina Galeotti duobus exceptis (XII. et XIII.) nunc primum in lucem prodeunt.

In edendis carminibus easdem rationes ad edenda medii aevi scriptorum monumenta adhibuimus, quas in superioribus voluminibus Bibliothecae quoque, cum complures codices habemus, optimum esse putavimus. Permultas variantes lectiones in Scriptura colligendo multo lucidiores et utiliores aptioresque Annotationes Criticas effecimus.

In carminibus ordinandis ordinem codicis Monacensis (Cm. 650.) negligi nobis aptum esse non videbatur, ut carmina secundum artis poeticae genera ordinarentur, duo igitur, quae hoc codice Monacensi non continentur, ad finem reiecta sunt.

Dabam Monaci, mense Iulio anni MCMXXXI.

*L. J.*

## INTRODUCTIO.

### *I. De vita operibusque Galeotti Martii.<sup>1</sup>*

*Vita.* Galeottus Martius Narniae in oppido Umbriae e gente vetere, uti creditur, natus est anno, paene certum habemus, 1427. De parentibus eius paulum scimus, ubi didicerit elementa, nescimus. Cum circiter vicesimum annum ageret, Ferrariae in schola Guarini Veronensis didicit una cum Iano (Iohanne) Pannonio celeberrimo poeta, postea episcopo Quinqueecclesiarum (in Hungaria). Anno 1450. Romam proficiscitur et eodem anno Pataviae docuit et medicinae discendae operam dedit. Ianus Pannonius a. 1458. in Hungariam reversus eum invitationi a. 1461. satisfacientem ad se invitavit. Budae in aula regis Mathiae Corvini complures Hungaros (inter quos imprimis Ioannes Vitez de Zredna episcopus Varadinensis, postea archiepiscopus Strigoniensis memorandus est) cognovit. In Hungaria autem paulum temporis commoratur, revertitur in Italiam, mox Hispaniam et Galliam et Britanniam visitat. Anno 1463. iam denuo Patavii invenimus, mox (1464.) Bononiae, ubi ferme annum docuit, quo anno (1464.) in Franciscum Philelphum invectivas scripsit et quo anno a Iano Pannonio iterum in Hungariam vocatur et fortasse a. 1465., cum esset Ianus legatus in Italiam missus, in Hungariam ab eo deducitur. In Hungaria scriptus esse liber, qui est De homine, habetur, quo provocavit Georgium Merulam. Anno 1472., cum coniuratio a Ioanne Vitez et Iano Pannonio contra Mathiam regem facta supprimitur, Hungariam reliquisse videtur. Usque ad annum 1476. iterum Bononiae docet. Paene certum habemus librum De incognitis vulgo scriptum eum a. 1477. composuisse, propter quem

<sup>1</sup> Vitam Galeotti quam profusissime conscriptam paene omnibus fontibus adhibitis in libro, qui *Analecta ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia* inscribitur (Budapestini-Lipsiae, 1880., pag. 229—294.), Eugenius Abel praebuit (Hungarice). — Epitome ex hac vita legi potest in ephemeride, quae *Ungarische Jahrbücher* inscribitur, (Budapest, 1881., pag. 29—42.) ab eodem scriptore compositus (Germanice).

ab inquisitoribus Venetiis in carcerem conicitur et solum Laurentio de Medicibus et Mathia Corvino adiuvantibus iterum liber esse quivit a. 1478., a quo anno usque ad annum 1480. Mathiae regis amicitia utebatur ei dedicans editionem secundam libri, qui est De incognitis vulgo. Tunc in Italiam proficiscitur, sed a. 1482. quartum in Hungaria invenitur. Nescimus, quot annos tunc apud Mathiam regem remanserit, cuius in aula circa annos 1484—86. scripsit opusculum, quod de De egregie, sapienter et iocose dictis ac factis Mathiae regis inscribitur Ioanni Corvino, regis filio dedicatus. Anno 1489. Laurentio de Medicibus opus De promiscua doctrina scriptum dedicavit, quo igitur anno iam denuo in Italia moratur. Anno 1492. in Gallia invenimus; eodem enim anno Carolo VIII. regi librum, qui De excellentibus inscribitur, dedicat. De ultimis vitae annis paene nihil certi habetur, cui fides habeatur; sunt, qui dicant eum anno 1497. in Boemia mortuum esse, alii Montanianae, alii Lugundi, alii aliis annis.

*Opera.* Carmina. — Chiromantia. — De egregie, sapienter et iocose dictis ac factis Mathiae regis. — De homine libri duo. — De incognitis vulgo. — De promiscua doctrina. — Epistolae. — Invectivae in Franciscum Philelphum. — Liber excellentium sive de excellentibus. — Refutatio in Merulam.

## II. De carminibus Galeotti Martii.

Carmina Galeotti non secundum genera artis poeticae ordinavimus, quia valde difficile esse videbatur, sed accepimus ordinem codicis *M*, qui solis duobus carminibus exceptis (XII. et XIII.) omnia continet; quae duo propter eorum ordinem temporum<sup>2</sup> post carmina codice *M* contenta poni aptissimum esse visum est. Codicem enim *M* de manuscripto iam deperdito ab ipso Galeotto collecto et correcto descriptum iure credimus. In codice carmina fortasse non secundum ordinem temporum ordinata sunt.

<sup>2</sup> Carmen XII. ad Ianum (Ioannem) Pannonium scriptum intra annos 1451. et 1454. compositum esse videtur, XIII. autem a. 1458., cum monumentum sepulcrale Gattamelatarum institutum est. Et quidem ea de causa posui haec duo carmina post omnia, quia exempli gratia carmen VII. a. 1450. scriptum videtur.

Dedicatio ante carmina II. et III. ponebatur; quorum codices *F* et *E* de eodem manuscripto derivati videntur; eorum textus a Galeotto esse correctus in codice *M* a nobis certo creditur.

Carmen IV. ab ipso Galeotto textu carminis deperdito e memoria descriptum habemus. In manuscripto (*M*) enim post carmen in fol. 348v haec scripta inveniuntur: „Hi versus intercalares mutilati sunt et incompleti, quia primum exemplar amissum est, tot ergo versus hic sunt, quot auctor memoriae habebat. Amen“. Quod iterum demonstrare videtur codicem *M* de manuscripto ipsius Galeotti derivatum esse.

*Dubia.* I. et II. In nummo Galeotti<sup>3</sup> inveniuntur hexameter et fragmentum cuiusdam versus Sapphici; fieri potest, ut Galeotti sint. — III. Carmen Erolī in editione *e* prodidit describens Narniae de pariete curiae. Versus, praesertim quod ad sententiam attinet, haud indignus Galeotto est.

### III. De codicibus et editionibus carminum.

#### a. Codices.

*M* — Monacum. (Staatsbibliothek.) Clm. 650., saec. XV., chart. — Codex locupletissimus carminum Galeotti, continet enim carmina I—XI.; et quidem in his foliis: I. 332r—334v; Ded. 335r—337v; II. 338r—346v; III. 347r; IV. 347v—348v; V. 349r—v; VI. 350r—v; VII. 351r—353r; VIII. 353r—v; IX. 353v; X. 353v; XI. 354r—355r. Quem codicem praesertim maximi momenti habuimus. Codicem, de quo hic codex descriptum esse videtur, a Galeotto collectum recte putamus.

<sup>3</sup> Imaginem nummi vide in libro Ioannis Erolī, quo de Galeotto scribit. (Cf. Abel: *Analecta* etc. pag. 279—280.) Praeterea: Bibliotheca Corvina. Mátyás király budai könyvtára. Irták: † Fraknói Vilmos, Főgel József, Gulyás Pál, Hoffmann Edith. Szerkesztették: Berzeviczy Albert, Kollányi Ferenc, Gerevich Tibor, Budapest, 1927., pag. 12. (Hungarice scriptus liber.) — Bibliotheca Corvina. La biblioteca di Mattia Corvino re d'Ungheria. † Guglielmo Fraknói, Giuseppe Főgel, Paolo Gulyás, Edit Hoffmann. Per cura di Alberto Berzeviczy, Francesco Kollányi, Tiberio Gerevich. Traduzione dall'ungherese di Luigi Zambra. Budapest, 1927., pag. 13. (Liber Italice scriptus.)

*S* — Ibidem. Clm. 369., saec. XV., chart. — Codex haec quinque carmina Galeotti in his foliis continet: XII. 102r; X. 108v; IX. 109r; III. 110r; VIII. 110v.<sup>4</sup>

*L* — Ibidem. Clm. 716., saec. XV., chart. — Duo carmina continet in his foliis: VII. 24r—25v; XIII. 182v.

*V* — Vindobona. Bibliotheca Nationalis. Cod. Vind. Lat. 3214., saec. XV., chart. — Codice carmen VII. continetur in foliis 49v—50v.

*B* — Ibidem. Cod. Vind. Lat. 3449. saec. XV., chart. — Qui continet carmen XII., in fol. 90v.

*E* — Mutina. Bibliotheca Estensis. Num.  $\alpha$  O. 7. 30., saec. XV., membr. — Dedicacionem et duo carmina continet codex, e quo nunc tria folia desunt, et quidem, quia codex post folia deperdita numerata est, post folium 4. duo et post 6. unum, quae tria a folia e carmine II. hos versus continuit: 1—48, 101—126. — Ded. 1r—4v; II. (versus 49—100., 127—305.) 5r—13v; III. 14r inveniuntur.

*F* — Ferraria. Bibliotheca Civilis. Numero 35. (no 115. N. A. 4.) Cl. II. 115., saec. XV., membr. — Dedicacionem et duo carmina continet hic codex, quae et Mutinensis, et quidem in his foliis: Ded. 1r—4r; II. 4r—15v; III. 15v—16r.

*N* — Venetiae. Bibliotheca Nationalis Marciana. Cl. XII. cod. CLXXIX., saec. XV., chart. — Continet carmen V. in foliis 5v—6r.

*R* — Roma. Bibliotheca Vaticana. Vat. Lat. 3411., saec. XV., chart. — Codex Galeotti duas invectivas in Franciscum Philelphum, necnon Philelphi epistolam ad Galeottum scriptam continet. Galeottus ipse memorat in invectiva altera se epitaphium in Ioannem Antonium Gattamelatam scripsisse et deinde subiecit ipsum carmen. Continet igitur carmen XIII., et quidem in fol. 68v—69r.

---

<sup>4</sup> Ab Eugenio Abel in *Analectis* (pag. 244. et 283.) memorantur continuatio carminis X. et carmen, quod In festo rectoris Padue anno MLIII. inscribitur, Galeotti esse, quae in hoc codice in fol. 109r inveniuntur. Quae carmina non a Galeotto scripta a nobis hoc loco declarantur.



*b. Editiones.*

*e* — Ioannes Erolī in libro,<sup>5</sup> quo de Galeotto scripsit, memorat in curia Narniensi usque ad annum 1856. videri potuisse tabulam pictam<sup>6</sup> Galeotti cum inscriptione et carmine a nobis in Dubiis inserto (III.). Erolī et picturam et inscriptionem et carmen descripsit et prodidit, et quidem inscriptionem et carmen in pag. 170.

*i* — Idem in libro de Erasmo Gattamelata scripto<sup>7</sup> subiecit carmen Galeotti de Ioanne Antonio Gattamelata, Erasmi filio scriptum, id est carmen XIII. in pag. 183. Epitaphium Erolī Patavii in basilica sancti Antonii descripsit, ubi pater et filius sepulti erant; monumenta sepulcralia nunc iam amota sunt.

*a* — Eugenius Abel in ephemeride, quae Egyetemes Philologiai Közlöny (1879.) inscribitur, edidit carmen XII. e codice *B* in pag. 7.

*b* — Idem in libro, qui *Analecta ad historiam renaescentium in Hungaria litterarum spectantia* (1880.) inscribitur, iterum edidit idem carmen (XII.) in pag. 144—145. — In eodem libro, ubi vitam Galeotti composuit, prodidit e codice *R* carmen XIII. in pag. 239. — Simili modo post editionem *i* subiecit carmen III. a nobis in Dubiis insertum (pag. 280.).

---

<sup>5</sup> *Miscellanea Storica Narnese* compilata per Giovanni March. Erolī. Vol. I. Narni, 1858. *Dissertatio de Galeotto Martio* scripta invenitur in pag. 169—201.

<sup>6</sup> Quo anno picturam faciendam curaverit quaedam familia Narniensis, nomine Cesi, nescimus.

<sup>7</sup> *Erasmo Gattamelata da Narni, suoi monumenti e sua famiglia*. Roma, 1876.

## GALEOTTUS MARTIUS

### CARMINA

#### I.

##### *De laudibus et comparatione fratris Antonii et Orphei.*

Aonio vates perfusus nectare sedes  
Inferias adiitque domos et tecta tyranni  
Orpheus et cithara manes commoverat omnes.  
Flumina iam steterant, Phlegethon iam frigidus ipse  
Attonitusque Charon tali pro carmine cumbam 5  
Liquerat et miseris patuerunt flumina dempto  
Nummo et, quae fuerant annos per litora mille  
Errantes animae, — nullo prohibente — per omnes  
Elysios peragrant et sanctis crimina miscent.  
Aspice, quae vires et magna potentia vatis 10  
Threicii fuerit, fluvios, cum saxa, leones  
Atque feras omnis, sed inexorabile vulgus  
Femineum dulci potuit non flectere cantu.  
At Bittuntaeus divino afflatus amore  
Pectora cum solvit mentemque aperire deorum 15  
Incipit et magni reserat praecepta tonantis,  
Ponere duritiem tum mollia saxa videres  
Mulcerique lupos et corpora saeva ferarum  
Et, qui perpetuo solvebant corpora luxu,  
Tunc casto fieri, tunc ad meliora reduci. 20  
Mirum est, humano gaudent qui sanguine fuso,  
Audito ponant crudelia pectora cantu;  
Hic, qui nummorum nimio cumulabat hiatu  
Montes et cordi fuerant praeda atque rapinae  
Et solitus spoliare deos, nudare rapaci 25  
Pupillos dextra miserisque in carcere taetro  
Trudere continuis augens sua praedia raptis,  
Exiit agrestes animos verbisque tremendis  
Antoni motus partos ex fenore nummos  
Pauperibus donat victuque et vestibus omnes 30  
Afficit aere suo natasque locavit egentum.  
Et qui continuo complebas viscera potu  
Accirique tuo mandabas, improbe, ventri  
Pavones leporesque et mullos, ostrea, rhombos,

Pro quibus et nautas et servos aequora, silvas 35  
 Rimari miseris fato impendente iubebas,  
 Aera cum magno turbabant flamina motu:  
 Credere vix ausim, discis tunc viscera parvo  
 Contenta esse cibo et lautas contemnere mensas.  
 Cum Bittuntaeo reboant delubra canente. 40  
 Qui quondam fuerant auroque ostroque superbi  
 Quique suum spectant alterno lumine semper  
 Pectus, si folium labens, si ex aere penna  
 Purpureas pallas et vestes illinet ipsas,  
 Cum chlamydes undant, cum pectora lata tumescunt, 45  
 Tunc ponunt fastus seque ad meliora reducunt.  
 Abdicat hic pompas, hic vestes murice tinctas  
 Despicit et vilis graditur centonis amictus,  
 Contracti vultus huic, herbea lumina fronsque  
 Demissa, hic mento tangit sua pectora summo, 50  
 Hic et humi fixos oculos, ille ora tenet nunc.  
 Ipse ego conspexi, quos segnis inertia nexu  
 Continuo arcebat artus infusa per omnes  
 Et testudineo peragentes omnia motu,  
 Desidiamque animi tepidos et linquere mores, 55  
 Temnere delicias, operas navare paratos,  
 Cum Bittuntaeo resonabant pulpita cantu.  
 Moribus infelix, cui nil natura bonorum  
 Affert, qui cruciat semperque extorquet habentes,  
 Antoni verbis et sacra voce quiescit. 60  
 Et qui sollicito tales in pectore questus  
 Volvebantque avidae verba indignantia secum:  
 Quis deus insequitur? quaenam fortuna gubernat  
 Mendicos? pauper fuerim cum semper egensque,  
 Ille domus amplas, famulos et corpora centum 65  
 Servitio lauroque tenet, quot praedia passim?  
 Et quae sunt segetes et rerum copia? quantus  
 Nummorum census? quam magna armenta gregesque?  
 Quam mensam? quos ille cibos? quas devorat escas?  
 Huic nati centum, totidem, quas pulcher Apollo 70  
 Afflavit, natas, crines et lumina tanque  
 Sidere Cypriacae dedit cum pectore colla  
 Candidiora dea? Mihi nullus filius aequae  
 Ac nata et misero complentur viscera victu.  
 Vix potui, magno saevit cum turbine ventus, 75  
 Hac serapellina nudum deferendere corpus  
 A pluviis, famuli mihi nulli et quippe futurus  
 Nullus honos nullique Lares armentaque nulla:  
 Deponunt questus et, res miseranda relatu,  
 Qui cupiant socios summa ad fastigia duci 80  
 Exoptentque illis, ut voto singula cedant:

Cum Bittuntaeus sacros e pectore cantus  
 Depromit resonantque viro cum templa canente.  
 Non ego, si magnum spirarent corda Maronem  
 Atque caballino manarent carmina fonte, 85  
 Ipse meo possem complecti carmine cuncta.  
 Hic pravos mores antiquaque crimina ponit,  
 Ille malos vitat, sanctos imitatur amatque,  
 Denique praeconis cunctas vulgata per urbes  
 Iussa bonos reddunt homines, ut numina laudent. 90  
 Antoni nimio tactus Galeottus amore  
 Haec lusi, non quo tantum describere morum  
 Virtutisque tuae, quod non maiora supersint,  
 Credam, sed quodam, quo tu manare putares,  
 Quicquid id est, cumulo et, quaecumque ferentur amoris, 95  
 Pignus amicitiae et nostrum quo carmen haberes.  
 Dicimus ergo vale, veri tu praeco tonantis,  
 Hoc solum cupias, ut nobis nomina semper  
 Ore tuo precibusque tuis praesentia fiant,  
 Defensent animam cuncta et per secula nostram. 100

## II.

*De domina Stella et origine suae domus.*

Ordiri nobis Ptolemaeum magna cupido  
 Incidit, unde genus tam clara in stirpe creatum  
 Venerit et Latio divinae quis semina gentis  
 Attulerit, prodite, deae, cantuque favete,  
 Pierides, summo residentes vertice montis 5  
 Bellerophonteo spirante in carmina fonte.  
 Nam mihi, cum veniunt tot iam proceresque ducesque  
 Ante oculos lumenque domus et splendida gesta,  
 Caligant oculi, mea mens exterrita tantum  
 Vitat onus viresque negat mihi prava facultas, 10  
 Nullus enim vates complecti carmine quiret  
 Ingenioque suo tantorum gesta virorum,  
 Et praestent quantum cunctis pietate minores  
 Atque armis et quale decus, quae gloria genti  
 Affuerint, ideo quondam qua lege potentes 15  
 Frenabat populos et tanta in pace tenebat.  
 Praetereo et laudes magnas, comitissa, relinquo  
 Et Petrum, quondam fuerat qui pacis amator,  
 Servator iusti, patriae spes unica tantae,  
 Summus et orator; solitus frenare furentes 20  
 Eloquio populos idemque impellere, si qua  
 Pro patria atque aequo bella inceptanda fuissent.  
 Et si tantus eques fuerit tam tempore prisco,

Praeteriisse sinam nec te, Raimunde, superbum  
 Bononiam Romanque tuo sub iure tenentem 25  
 Pontificis iussu, nec te iam, Binde, canemus.  
 Prosequar ergo genus dicamque exorsa virorum.  
 Nam cum saeviret bello Germania quondam  
 Proeliaque ingenti vastarent cuncta furore,  
 Magnanimus venit tunc Valdestriccus in oras 30  
 Hesperias pollens opibusque et milite multo.  
 Quaerebat, patria vel qua regione nepotes  
 Deberent semper nati coniunxque manere  
 Incolumes, tandem Tuscos, si nuntia veri  
 Fama fuit verique potest meminisse vetustas, 35  
 Incidit in colles tunc et sua castra locavit,  
 Nunc ubi, Sena, tuos longe lateque potentes  
 Imperio populos et sacro iure gubernas.  
 Hac mores sanctique patres et moenia prole  
 Fluxerunt partemque dedit tibi seminis illa. 40  
 Huic natus Ptolemaeus erat, quo tempore prisco  
 Pulchrior alter erat nec bello maior et armis  
 (A quo manarunt Ptolemaeae nomina gentis)  
 Et iaculo cursuque fuit, cui saepe solenti  
 Et cervos capreasque sequi fulvosque leones 45  
 Surrepsit somnus magno cum forte labore,  
 Nam labor atque nemus somnos suadebat amicos,  
 Talibus e summo veniens Iove natus Olympo  
 Alloquitur verbis fessum somnoque gravatum:  
 Felix o iuvenis, felix, si fata deusque 50  
 Astrorumque sinet series et ferreus ordo,  
 Tempus enim veniet, quo tu, Ptolemaee, videbis  
 Ornatas virtute domos olimque potentum  
 Nobiliumque virum fecundas, missus ab alto  
 Ipse tibi (haud unquam mentiri crede deorum) 55  
 Oppida magna cano, natos septemque futuros  
 Consilio claros equites et quippe daturos  
 Virtutum speculum, laudem nomenque decusque.  
 Illis summus honos, illis quoque gloria rerum  
 Continget magnumque dabit per secula nomen. 60  
 Hinc quoque nascetur cunctis praestantior ille  
 Treguandam sub iure tenens castellaque multa  
 Bartholottus eques summoque elapsus Olympo.  
 Si superis adhibenda fides, si numina nunquam  
 Falsa canunt veroque animum mihi Iuppiter implet, 65  
 Nascetur Iacobus, quo tu laetaberis olim  
 Praesule et aeternam capies quo, Narnia, famam.  
 Hic pacem moresque probos, delubra deosque  
 Religione colet non aspernatus egenos,  
 Mendicos quoniam cultu victuque fovebit 70

Aere suo antistes natasque locabit egentum.  
 Optimus huic genitus pollens Bertoccius olim  
 Moribus atque aequo, cuius prudentia cunctis  
 Ostendet ventura viris dicetque futurum,  
 Mirum est, mortalis (tantum experientia rerum est) 75  
 Qui caecas norit causas et numina, si quid  
 Portendant, ideo soles et frigora promet,  
 Si Cereri noceant et si nocitura Lyaeo.  
 Huic laudes magnae et rerum monumenta manebunt  
 Grosseti quondam longum inviolata per aevum 80  
 Impositae et quaedam stabunt in honore tabellae.  
 Denique nascentur tot iam proceresque virique  
 Hac, Ptolemaee, domo Senae, quod tempore eodem  
 Bis denos equites et sex, Ptolemaee, futuros  
 Nuntio, qui summum tollent super aethera nomen. 85  
 Heu, bona nos superi semper miscemus amaris  
 Rebus, ut infaustos habeant felicia casus.  
 Nam veniet tempus, quo tu (si vita maneret)  
 Aspiceres equites uno recubare sepulchro  
 Bis nonos divi Francisci templa tenentes. 90  
 Postea se tantum tollet Ptolemaea propago  
 Diffundetque viros adeo, quod celsa minores  
 Moenia Ferrariae et laetas cum flumine ripas  
 Eridani pulchramque colent urbemque domosque,  
 Mutantes patriam mutabunt nomina, dicent 95  
 Nanque Assissinos Ptolemaea stirpe creatos.  
 Ex his nascetur cunctis formosior illa,  
 Moribus et magna superat gravitate puellas  
 Matronasque simul pietate animoque pudico,  
 Cui caeleste dabunt nomen Stellamque vocari 100  
 Optabunt ideo superi, quod nomina magnis  
 Aequabit rebus, fama cum sidera tanget.  
 Forma decens illi, quam quondam pulcher Apollo  
 Aflabit, crines flavos et lumina tanquam  
 Sidera Cypriacaque dabit cum pectore colla 105  
 Candidiora dea roseos vultusque genasque  
 Rubraque puniceos corallos labia vincent  
 Oreque de pulchro semper redolebit amomum.  
 Lilia spirabunt, quocunque incedet, odorem,  
 Stella rosas violasque suo de pectore fundet. 110  
 Oscula parva illi tenues digitique manusque,  
 Risus in ore decens semper, quo sidera laeta  
 Et mare caeruleum, venti terraeque manebunt.  
 Illa pares candore sitos ex ordine dentes,  
 Et gracilis nares et formae numen habebit 115  
 Falcatumque supercilium mentumque bisulcum  
 Atque brevis aures et multum brachia pulchra,

Cetera Phoebeae similis per membra sorori,  
 Ni color huic fuscus, quoniam venatur, et illi  
 Candor erit, quoniam semper sine sole manebit. 120  
 Stella deos sanctosque colet pietate parentes,  
 Semper erit Stellae magnae concordia curae  
 Conciliare viros pacemque inducere cunctis.  
 Corporis hanc nunquam flectet rerumque voluptas  
 Contemnetque lyras, cantus omnisque choreas 125  
 Oraque non ullo stabunt fucata colore  
 Seque domi semper nunquam incomitata tenebit  
 Ancillas dumtaxat habens, quibus, otia vitent,  
 Praecipiet, pensumque trahant sanctosque precentur  
 Ore deos festisque petant delubra diebus. 130  
 Vita volat celeresque dies et tempus et anni  
 Labuntur quoniam properatque incurva senectus  
 Virginis ante oculos ponetque exempla Mariae  
 Quidque aliae faciant, possint ut scandere Olympum  
 Atque frui virtute deo summoque tonante. 135  
 Aspice, felicem et si te fecere beatam,  
 Stella, dei, miro cum tu, matrona, decore  
 Exuperas adeo pietate et mente pudica  
 Omnes, ut totum sis decantanda per orbem,  
 Stella, pudicitiae flos, religionis amatrix. 140  
 Imaque despiciens animos ad summa levabit,  
 Nullus amor nullique metus odiumque precesque  
 Turbabunt, quin aequa viris sint omnibus illa,  
 Quae faciet semperque colet rectumque bonumque  
 Et dare pauperibus cupiet vestesque cibosque 145  
 Dirutaque aere suo (mirum est) quod templa deorum  
 Restituet totumque dabit pro paupere censum.  
 Haec quoque servabit rebus finemque modumque  
 Omnibus et pompas et pallas murice tinctas  
 Contemnet nummosque simul, non ambitus illi 150  
 Ullus erit, cunctis sese praestabit amandam,  
 Comis et haec facilis, nulli responsa dabuntur  
 Aspera, sed cunctos laeta cum fronte videbit  
 Stella viros, quam nullus honos, quam gloria nulla  
 Eriget et nullus poterit deponere casus. 155  
 Praesentes animi, quin mens immota manebit  
 Semper et in toto persistant corpore vires.  
 Stella erit et sapiens, pia, prudens, iusta, modestos  
 Mores sancta colet verique et pacis amatrix,  
 Stella, inquam, caetus inter celebranda beatos, 160  
 Religione sacra melior, qua nulla futura,  
 Nulla magis simplex, qua nulla magisque pudica  
 Affuit in terris, tantum una virgine dempta,  
 Qua Christus genitus et qua caelestia regna

Parta fuere olim nobis Phlegethonte remoto. 165  
 Haec te felicem teque haec, Ptolemaee, beatum,  
 Constituet summamque dabit laudemque decusque.  
 Haec, inquam, Ptolemaee, domus flos Stella futura,  
 Stella, decus, laudes una haec nomenque tuorum,  
 Hac sola, felix, multos, Ptolemaee, futuros 170  
 Linqvo, vade igitur, cunctis mea dicta referto.  
 Haec caelo veniens illi Cyllenius alto  
 Dixerat et tenui sese permiscuit aerae.  
 Exequitur mandata dei Ptolemaeus et illa  
 Eveniunt, quocumque modo praedixerat Hermes. 175  
 Sic deus et medio me liquit in aequore, sicut  
 Amisso rectore ratis cum fluctuat, illam  
 Huc undae remique trahunt, nunc impetus illuc  
 Ventorum retrahit, navis sic impete vasto  
 Truditur in scopulos, pereunt nautaeque ratesque. 180  
 Sic ego, qui nuper fueram comitatus, in undas  
 Ignotas cogor solus deducere puppem,  
 Prosequar ipse viros Ptolemaea stirpe creatos.  
 Hinc Assissinus cretus Galeottus, amator  
 Veri et contemptor semper fraudumque dolique, 185  
 Strenuus et sapiens, cunctis affabilis atque  
 Gratus et hic claro quovis vir dignus honore.  
 Nulla animi labes illi, non ulla cupido est,  
 Hic domino fidus nullumque subire laborem  
 Vitat, sed rueret domino dicente per hostes 190  
 Atque faces et saxa simul nec vilia ferre  
 Ardua nec spernit nec talia ferre timescit.  
 Hac etiam genitus Ptolemaea prole Ioannes,  
 Aedes qui sacras auxit templumque Mariae,  
 Unde petat mendicus opes et semper egeni 195  
 Ulcera quo curent, morbos et vulnera, febres.  
 Sclarum hospitio tribuit quoque praedia magna  
 Atque domos multas multosque in tempore nummos.  
 Ipse etiam rexit multo aedes tempore sacras  
 Hacque ferunt alma claraque propagine natum, 200  
 Montis oliveti posuit qui semina quondam.  
 Ortus et hinc Iacobus, praetor clarissimus urbis  
 Ferrariae, legum interpres, iustissimus atque  
 Moribus imbutus sacris, qui numina adorans  
 Religione deo mentemque animumque dicavit. 205  
 Ille fidem rectumque colit tutorque bonorum,  
 Illi commixtus verborum maximus alma  
 Cum gravitate lepos, quo se videt altius esse,  
 Praestat eo sese cunctis submissius ille.  
 Consilio clarus, cultor virtutis honesti, 210  
 Servator decorisque pater vindexque malorum.



Non precibus, non ille minis ullisque movetur  
 Muneribus, sancto quin vindicet omnia iure.  
 Fulcinium, tu testis ades, Camerinaque tellus,  
 Quae nuper Iacobo ut iusto vexilla dedisti, 215  
 Stirps quoque magnanimo tribuit Ptolemaea Iohanni  
 Assissino ortus nulli gravitate secundo.  
 Nunc nervos intende tuos, nunc, Musa, canenti  
 Aspira cantusque cives Heliconis ab unda.  
 Solus enim meruit, laudent quem carmine vates, 220  
 Sed graviore lyra, nam vita et moribus ille est  
 Integer ac constans et — res miranda relatu —  
 Ille senex tantum possit, quod robore vasto  
 Viribus et iuvenes superet pedibusque manue,  
 Usque adeo prodest homini caste acta iuventa, 225  
 Ut corpus validum tribuat roburque senectae.  
 Et nunquam rerum cupidus, non aëris avarus  
 Quaerit opes ullas quaesitisque abstinet unquam,  
 Sed potius rebus cunctos impertit egentes.  
 Novit enim mortale genus, quod lege deorum est 230  
 Hac genitum, ut cunctos homines defenset et illos  
 Patre viros uno matura matre creatos  
 Esse putet, tutatur eos his legibus aequae.  
 Ac se magnanimum praestans pietate Iohannes  
 Hic facilis nullique graves e pectore voces 235  
 Oreque de sacro manant nec iurgia tanquam  
 Spicula nec querulus sermo, sed dulcior omni  
 Melle fluit, populus quo iam ratione carentis  
 Dirigit afflictos et consolatur amicos.  
 Quid iuvenis faciat, quid vir, quid femina, semper 240  
 Edocet, ut norint, quae magna pericula quidve  
 Conducit patriae, monstrat, quid inutile, si qua  
 Bella movenda forent, sapiens et praeripit hosti  
 Consilium (prodest adeo prudentia cunctis),  
 Praedicat et nunquam de se nec lapsa recenset 245  
 Tempora, ni prosint urbi sua gesta virisque.  
 Tunc casus omnis, magnos tunc ille labores  
 Expedi, ut prudens longaevusque instruat omnes  
 Et cautos reddat iuvenes patriaeque sibi  
 Consilio monstretque viam, qua summa paretur 250  
 Gloria, qua similes possint se fingere divi.  
 Strenuus et prudens operas navare paratus  
 Aggreditur duros iuvenili mente labores  
 Atque magistratus vanos et spernit honores.  
 Magnanimus quamvis princeps praefecerit illum 255  
 Urbibus et summo fuerit complexus honore,  
 Saepius ipse tamen renuit, non ambitus unquam  
 Flexit eum populique favor nec magna potestas.

Non ipse ut duros vellet vitare labores  
 Aut quod iam tenues is fastidiret amicos 200  
 Auxiliumque suis nollet conferre, sed ille,  
 Despicienda viris, novit, quod gloria semper  
 Et quod in his potius temnendis gloria maior.  
 Apparet petiisse animo quam summa superbo,  
 Hoc egit totiens et tot contempsit honores. 205  
 Hic quoque Pieridum cultor vatumque sacrorum,  
 Semper amans illis et totus deditus omnem  
 Impendit curam, mentem cui magnus Apollo  
 inspirat carmenque movet sacrasque sorores,  
 Ut semper viridi cingantur tempora lauro. 270  
 Hic igitur doctus, fortis, pius atque verenda,  
 Maiestate gravis, toto celebrandus in orbe.  
 Est etiam iustus, prudens, virtute probatus.  
 Quid multa? Ingenti superat gravitate Catonem,  
 Dardanum pietate ducem Zaleucon et aequo. 275  
 Non, ego si magnum spirent mea pectora Phoebum  
 Castalioque chori veniant in carmina fonte,  
 Aonidum Liber Nysaeo vertice lapsus  
 Et mihi tot linguas tribuat, quot in arbore frondes  
 Dependent viridi, fulgent quot sidera caelo 280  
 Et semper totidem resonantia vocibus ora,  
 Ipse meo possem complecti carmine cuncta  
 Splendida gesta ducum Ptolemaea prole satorum  
 Quotque viri fuerint studio Mavortis et armis  
 Insignes ex hoc tam claro sanguine creti. 285  
 Nam tu sive velis claros pietate vel armis,  
 Sive toga summisque opibus tectisque superbis  
 Eloquioque viros et religione deorum,  
 Sive homines quaeras longe lateque potentes  
 Principibus magnis consanguinitate propinquos, 290  
 Sive velis claros gestarum nomine rerum,  
 Tales ipse viros Ptolemaeo sanguine natos  
 Invenies ingens nomen super astra ferentes.  
 Felix ergo domus, felix Ptolemaea profecto  
 Tantorum fecunda virum, sed pace canamus 295  
 Hoc, liceat: duo sunt Ptolemaeae lumina gentis,  
 Quae tantam stirpem decorant et nomina praebent.  
 Primum Stella choros inter celebranda dearum  
 Exuperans sanctis matronas moribus omnes, 300  
 Illustrans pietate genus, gravitate modoque  
 Ingentis laudis, qua nunc, Ptolemaea propago,  
 Aeternumque tenes nomen famamque decusque.  
 Ast aliud lumen mira gravitate, Ioannes  
 Assissine, es, cui Musae nosterque libellus  
 Nunc datur ingenti Stellae confectus honore. 305

## III.

*Carmen epitaphium in Stellam.*

Conditur hoc tumulo mentis matrona pudicae,  
 Stella, sacros inter semper habenda choros,  
 Quam quondam genuit praestans Ptolemaea propago,  
 Post Assissino nomine dicta domus.  
 Huic crines flavi, geminum ceu sidus ocelli 5  
 Membraque Cypriaca candidiora dea.  
 Huic pietas, huic sancta fides, concordia curae  
 Semper erat, prudens haec, bona, iusta, gravis.  
 Reddidit haec terris corpus mentemque tonanti,  
 Sidera nunc inter Stella recepta micat. 10

## IV.

*Versus elegii intercalares.*

Nunc arcus intende tuos, nunc sume pharetram  
 Et tutare viros, casta Diana, tuos.  
 Et quibus in capreas usa es iam, diva, sagittis,  
 Nunc in sacrilegos dirige, casta, viros.  
 Nam tua res agitur, castos et mente pudicos 5  
 Cum videas falsi criminis esse reos.  
 Quippe tibi haud parvos tribuit Lucretia luctus  
 Funere et Hippolyti te doluisse ferunt.  
 Nunc arcus intende tuos, nunc sume pharetram  
 Et tutare viros, casta Diana, tuos. 10  
 Quid sanctam prodest vitam duxisse per annos  
 Et lumbos veneri surripuisse meos,  
 Quid labor assiduus, curae, ieiunia prosunt  
 Et colere innocua religione deos,  
 Quid coetum prodest semper vitare malorum 15  
 Colloquiumque proibi semper habere viri,  
 Quid delubra iuvat festis petiisse diebus  
 Criminis et veniam quid rogitare mei?  
 Nunc arcus intende tuos, nunc sume pharetram  
 Et tutare viros, casta Diana, tuos. 20  
 Quid flexis totiens genibus palmisque duabus,  
 Integer ut fierem, me rogitasse deos,  
 Improbus, incestus, pestis, si dedecus orbis,  
 Dilacerat famam furcifer ille meam,  
 Si moechus, leno, si corruptela virorum 25  
 Atque hominum monstrum detrahit innocuo,  
 Si mihi bambalio seclique infamia nostri  
 Perniciesque virum detrahit innocuo.  
 Nunc arcus intende tuos, nunc sume pharetram  
 Et tutare viros, casta Diana, tuos. 30

Sed maledicta nihil nobis, nil, perfide, possunt  
 Illa probos unquam, stulte, notare viros,  
 Nam vita et mores atque aequi conscia virtus  
 Tutatur falso, quod videt esse reos.  
 Pro clypeo frontem tribuens insontibus amplam 35  
 Amovet a sancto crimina cuncta viro.  
 Suggestit illa animos et mentem robore firmat  
 Voceque perplexa non sinit ora loqui.  
 Nunc arcus intende tuos, nunc sume pharetram  
 Et tutare viros, casta Diana, tuos. 40

## V.

*De mulo volente esse scholae magister.*

Mulus in Hesperia ludi fit forte magister,  
 Deposuit sellam, raserat ante pilos.  
 Fibula mordebat pullas argentea vestes  
 Et sibi dat crepidas nullaque frena gerit.  
 Saetosa fulvum portans cervice galerum  
 More viri passus digerit ille suos.  
 Officio manuum pes tunc successerat illi,  
 Ungula sed panni tecta nitore latet.  
 Concurrunt et oves et stulto pectore aselli  
 Capraque, verveces bosque, iuvenca, sues, 10  
 Concurrunt omnes pariter iuvenesque senesque,  
 Concurris posita, femina, nuda colo.  
 Accidit, ut legeret tota fenilia bruma,  
 Ne claudas, sermo est, quem canit ipse Maro.  
 Hic laudat fenum contemnens carmina vatis, 15  
 Ingeminat raucos ore rudente sonos.  
 Quid melius feno nobis, quid dulcius inquam,  
 Utilior toto nullus in orbe cibus.  
 Cetera dicturum deridens musca momordit  
 Et lanians unguem dentibus ille fremit. 20  
 Calcibus, ah, summam pepulisti, mule, cathedram  
 Deiectusque Maro calcibus atque viri.  
 Trulla sonat mulumque vident moresque ferinos,  
 Femina virque, fugis, cetera turba manet.  
 Stulto, stulte, places sic tu, sapientia mendax, 25  
 Detexit fictos muscula saepe viros.

## VI.

*In laudem Gentilis.*

Clarus adest bello Latio Gentilis in orbe  
 Et procerum populique pater, spes unica, summo  
 Imperio, Venetum populi, gaudete, ducesque!  
 Aequiperat veteres mira gravitate probatos

Hic pietate viros, hic religione fideque 5  
 Summus et aethereas fama venturus in arces.  
 Cautius hoc nemo novitque sagacius unquam  
 Hostibus ingruere et fortes impellere turmas.  
 Quidque, quod et vallum summa iacit arte peritus  
 Militiae, munit fossis atque aggere castra, 10  
 Convehat ut miles tuto sua pabula, tutus  
 Corpora procuret, sic tiro tutus aquetur.  
 O quotiens hostes, quotiens bellare coegit  
 Magnos ipse duces atque ipsi vertere terga.  
 Invitus nunquam cessit Martemque diremit. 15  
 Primo hic aspectu montes et flumina callet  
 Urbis et ipse situs, ideo tormenta virosque  
 Ordine cum posuit, urbes expugnat et arces  
 Incautosque hostes punctim caesimque lacessit.  
 Hostibus innumeris saevis conflixit in armis 20  
 Parva saepe manu. Mira hic virtute vel arte  
 Elicit ad pugnam claros belloque togaque  
 Strenuus hic miles, dux prudentissimus idem,  
 Palladis armisoniae et duri Mavortis alumnus.

## VII.

*De desolatione urbis.*

Heu, heu, cara mihi rerum tu maxima quondam,  
 Roma parens, cunctas olim veneranda per urbes,  
 Reliquiae rerum tantum monumentaque magna.  
 Moenia, magnanimus quondam quae condidit ille  
 Romulus, ecce iacent iam desolata ruinis. 5  
 Aurea quid referam Capitoli tecta, quid olim  
 Ditia templa deum, cur ipse Palatia magni  
 Caesaris, illa domus quondam celebrata triumphis  
 Nunc aequata solo et rerum pars ima tuarum,  
 Diruta Pompei et Luculli ingentia tecta 10  
 Et Crassi et, quorum magnum diffusa per orbem  
 Fama viget, Phrygiae pereunt iam templa Cybeles,  
 Nunc quoque sunt magni tantum vestigia circi.  
 Magna, quidem maiora querar. Periere Camilli  
 Scipiadaeque duo, Curii divusque Metellus, 15  
 Curtius abruptum terrae ingressurus hiatus  
 Devotique absunt Decii Romanaque virtus,  
 Marcius infidos debellaturus Hiberos,  
 Quo Nasica sacer, quo nunc inglorius ille  
 Quinctius, agrorum fuerant cui iugera tantum 20  
 Quatuor, et magni quo tot proceresque ducesque,  
 Quot nunquam totus potuit sortirier orbis.  
 Quo mores abiere probi, quo Creticus ille,

Ad superos nempe et luxum moresque malignos  
 Vitavere urbis, caelesti sede locati 25  
 Delicias hominum rident et inania regna.  
 Nunc fortuna nimis Romanis invida rebus  
 Integra perversis, summis permiscuit ima,  
 Cessit enim virtus magnique potentia regni,  
 Excussere fidem famam fraudesque dolique. 30  
 Fana libens multos olim celebrata per annos  
 Iecit humi vano cedens concordia templo.  
 Nunc frameam Mavors, Martem Bellona recusat  
 Aegida concutiens, longe sua templa locavit,  
 Illa Cupido tenet, regnant Bacchusque Venusque 35  
 Contempsitque chelym et pharetram iam pulsus Apollo,  
 Tisiphone tantum, tantum nunc regnat Ericto.  
 Isiacamque deam colimus templumque frequentes  
 Irruimus scortum lenae cum pellice moechi.  
 Curia, de summis ubi tunc Romanus agebat 40  
 Imperiis, pontum peterent an regna Quirites  
 Parthica, quo Cilices et quo pellendus amarus  
 Hannibal, ah, Marios pepulit durosque Catones.  
 Nunc caupo summis solitus considerare rostris  
 Evomit in populum tales sine mente loquelas: 45  
 Romulidae magni, nunc, nunc spirantibus austris  
 Utile Setino compleri nectare corpus  
 Inque penū Cereris et numen habere Lyaei.  
 Tollit enim curas et fessos robore firmat  
 Aegrotumque fovet pectus somnosque reducit, 50  
 Pellit et algores, oculi hoc nervique iuvantur  
 Urinamque ciet nec non is sistit orexim  
 Isque dapes suadet genium placare paratus.  
 Adde, quod et Bacchi superis aequanda potestas.  
 At frugum genitrix, Siculis quae praesidet oris, 55  
 Mītia dona tulit, fateor, mihi magna, sed huius,  
 Huius pace canam Phoebique et pace tonantis:  
 Caelicolas tantum cunctos Semeleius heros  
 Nunc, quantum calicem (calicem nam semper habebat)  
 Exuperant venae, cyathos haec amphora quantum. 60  
 Thyrsigerum ergo ducem nunc, agmina cuncta, Lyaeum  
 Nunc celebrate, viri, tela haec torquete lacertis  
 (Et calicem ostendit), sint hae galeae choreaeque.  
 Rideo, qui telum melius calcaribus ullum  
 Esse putant clypeumque audent praeferre lagoenis. 65  
 Haec sint arma mihi, sic vos certate, Quirites!  
 Dixit et immensum calicem siccavit ad imum.  
 Ipse cados vidi, calices urnasque locatas  
 Nunc, ubi Romani populi tabularia quondam.  
 Quid, quod et urinas et nunc Romanus orexim 70

Audiit et, demens Mavors et, vasa, Quirine,  
 Ligna pone, penu grandis quae circulus ambit  
 Ligneus et discas tu nunc caupone magistro.  
 His etenim caruere senes caruitque vetustas,  
 Tempore, sis, brumae saevo sis frigore tutus.

75

## VIII.

*De mutatione temporum.*

Tempora mutantur, cedunt quoque sidera retro,  
 Ver fugat autumnus, autumnum propulit aestas,  
 Aestatem sic pellit hyems, sic horrida fruges  
 Grando quatit, tristi labuntur ab arbore poma.  
 Omnia languescunt, pereunt praecocia cuncta,  
 Maio nempe ruunt imbres et frigora mense,  
 Bartholomaeae, tuum nunc nunc vulpecula corpus  
 Ambulat et caenum sinito perone repelli.

5

## IX.

*Versus sub insignis cuiusdam praetoris.*

Franciscus quo more viros Loredanius heros  
 Rexerit, advortas, depressit nanque superbos  
 Supplicibusque dedit veniam, vir pacis amator,  
 Non aquilam passus trepidas vexare columbas  
 Eripuitque lupi miseros e faucibus agnos,  
 Omnia nam voluit sapientis lance videre.

5

## X.

*Distichon in poetam.*

Heu, heu! caseolos coguntur vendere vates,  
 Persica, castaneas, cotana, mala, nuces.

## XI.

*Ad Federicum Caesarem.*

Rex Italum venit, populi, gaudete, ducesque!  
 Hunc tu, Roma parens, semper veneranda per orbem,  
 Suscipias laetis ulnis claroque triumpho!  
 Huic regale decus meritamque impone coronam,  
 Federicus enim bello ceu fulmen in armis  
 Exuperat tantum magnum gravitate Catonem,  
 Dardanum pietate ducem Zaleucon et aequo,  
 Lumina pollutas quantum caelestia terras.  
 Nuper ab empyrio delapsus Caesar Olympo  
 Iustitiae cultor, quo non ingentior alter  
 Surgit in adversos hostes et fulminat ense,  
 Nec quo liberius, nec quo clementius unquam  
 Supplicibus veniam et summos ferat alter honores.

5

10

Hoc te felicem, nunc hoc sub rege beatam,  
 Romula terra, vides; redeunt iam pristina regna, 15  
 Federicus enim Marius magnusque Camillus,  
 Hic Decius sanctusque Cato divusque Metellus,  
 Scipiadae gemini, rediit nunc Curtius ille,  
 Roma, tibi summos iam nunc aucturus honores.  
 Adde, quod hic summa divorum a stirpe creatus, 20  
 Consilio clarus, cultor virtutis honesti,  
 Servator tutorque boni vindexque malorum,  
 Huic decor et mixtus verborum maximus alma  
 Cum gravitate lepos, hic religionis amator,  
 Brachia diffudit longe lateque per orbem, 25  
 Non quo regnandi nec honoris caeca cupido  
 Flexerit, attonito sed quo depelleret orbe  
 Numina falsa, malum cultum moresque malignos.  
 Hic ille est regno, quo nunc sublimior astat,  
 Praestat eo cunctis sese summissus omni 30  
 Maiestate gravis, toto celebrandus in orbe.  
 Salve, vera dei proles, rex inclite, salve,  
 Ausonidumque salus et spes certissima nobis,  
 Italiae columen rerum et tutela suarum.  
 Tu portus requiesque viris, tu pacis amator, 35  
 Nanque fides et sancta tibi concordia curae,  
 Nulla animi labe, te nullus flexit honoris  
 Ambitus atque tuis cessit fortuna triumphis,  
 Nanque ipsam virtute potens et fortibus armis  
 Exuperas stabilemque facis, nec lubrica labi 40  
 Possit et abscedens summis permisceat ima.  
 Te duce Romani redeunt clarique triumphis.  
 Hesperiae squalebat ager, nunc diruta paene  
 Moenia, magnanimus quondam quae condidit ille  
 Romulus, et vomer fuerat conflatus in ense, 45  
 Caesaris adventu iam sunt tranquilla per orbem  
 Tempora, pax venit atque enses et proelia cessant.  
 Hinc igitur laeti tendant ad sidera cantus,  
 Laetitia sacris date nunc pia thura precesque.  
 Hunc proceres magnique duces cum principe reges, 50  
 Hunc urbes populique tremunt numenque verentur.

## XII.

*Ad Ioannem Pannonium.*

Docte, salutatum vult te mea Musa, Ioannes,  
 Egregios inter connumerande viros.  
 Multotiens volui dudum ad te scribere, si quid  
 Temporis aut oti nactus et ingenii.



Sed doleo, quoniam adversa valetudine pressus 5  
 Conticui curis implicitusque meis.  
 Nunc quia languentes animi curaeque parumper  
 Cesserunt, aegris aspera turba viris,  
 Ad te constitui, Musarum si quid Apollo  
 Dedit, hos versus litterulasque dare, 10  
 Non, quo noster amor possit cumulatior unquam  
 Carminibus fieri, nec minor ipse, meis,  
 Nec, mea quo fuerit tibi mens alienior unquam  
 Carminaque, exoptem, nostra reconcilient.  
 Nil magis insulsi, nil est magis usque cavendum, 15  
 Quam colere Aonios cum levitate viros,  
 Praecipue mira vatem gravitate futurum,  
 Dicere seu prosa carminibusque velit.  
 Sed quoniam nequeo te visere, care Ioannes,  
 Officium faciat quo mea Musa meum, 20  
 Oscula mille tibi atque amplexus nomine nostro  
 Ipsa daret, iussi: — casta puella timet.  
 Nimirum Musas omnes decet esse pudicas,  
 Dedecet ignotis oscula ferre viris.  
 Ipse etiam iussi, nostra haec ut verba referret: 25  
 Salve, spes Latii Pannoniaeque decus!  
 Salve, conspicuos inter celebrande poetas!  
 Nobis qui curae Pieridumque choro  
 Et quem complexus miro Galeottus amore est  
 Martius Aonio deditus ipse viro. 30  
 Haec mea Musa feret, docui, sed plura volebam,  
 Ni sermone meo longius esset opus.  
 Ergo vale, nostri requies portusque laboris,  
 Vitae Pannoniae spesque salusque meae!  
 Fata, precor, servate meum per secula Ioannem 35  
 Dimidiumque animae, tu quoque, Parca, meae,  
 Nam puer et tenero complentur stamine fusi,  
 Nondum maturum desine velle virum,  
 Ut vobis possit, fuerit cum grandior aevo,  
 Reddere pro meritis munera, thura, preces. 40

## XIII.

*In Ioannem Antonium Gattamelatam.*

Te quoque, Ioannes Antoni, immitia fata  
 Morte, licet doleant, eripuerunt tamen.  
 Clara tibi facies, nec non victricia signa  
 Inque acie virtus fulminis instar erat.  
 Unica spes hominum, nam tu iuvenilibus annis 5  
 Ingenio fueras et gravitate senex.  
 Gattamelata pater, decorant pietasque fidesque  
 Ingenium mores nomen et eloquium.

## DUBIA.

### I.

Nascentes morimur finisque ab origine pendet.

### II.

superata tellus  
Sidera donat.

### III.

Eloquio valui, curavi commoda pacis,  
Praeclarus sophia Martius ipse fui.  
Nar natale solum, celebrem me reddidit Hummus,  
Pontifici carus, regis amicus eram.  
Nunc placeo superis, sunt haec monimenta laboris,  
Exemplo ut patriae sim, locus iste monet.

## DEDICATIO

AD CARMINA II. ET III.

*Galeottus Martius Narniensis Ioanni Assissino salutem.*

Alexandrum Macedonem, eum qui Graeciam Mace-<sup>1</sup>  
doniamque et omnem ferme Asiam sub imperio tenebat, in  
toto illo amplissimo regno edictum fecisse accepimus, ut  
nullus pictor imaginem suam effingere auderet praeter Apel-  
lem pictorem ea tempestate ingenio et arte singulari. Putabat<sup>2</sup>  
enim apud posteros, ad quos non imago, sed nomen dum-  
taxat erat perventurum, tale se iri habitum, quale effingentis  
ingenium esset. Alexander mea quidem sententia ut in ceteris,<sup>3</sup>  
ita in hoc sapientissimus et suarum laudum diligentissimus  
observator censendus est. Solet enim saepenumero usu ve-<sup>4</sup>  
nire non in figmentis et imaginibus solum, sed in historiis et  
litterarum monumentis, ut tales apud posteros viri habeantur,  
qualia fuere scriptorum ingenia. Nam cur Decios, Scipiones,<sup>5</sup>  
Brutos Catones, et reliquos virtute ac sapientia praeditos,  
quorum nihil ad nos pervenit, nisi quaedam litterarum monu-  
menta, laudibus ac praeconiis prosequimur et, ut ita dixerim,  
caelo aequamus. Et vitio ac opprobrio dignos autumamus<sup>6</sup>  
Tarquinius, Catilinas et alios huiuscemodi, nisi quod prae-  
clara scriptorum ingenia alteros ignominia, vitio, insectatione,  
alteros laude, praeconio, admiratione, sua cum facundia et  
dicendi ubertate dignos testantur. Quo fit, ut nonnullos rerum<sup>7</sup>  
ignari haud digne vel odio vel amore complectamur. Quor-<sup>8</sup>  
sum haec, quorsum? ut intelligeres, mi Ioannes, non parum  
subtrepidasse, ne non satis aequo animo perferres me homi-  
nem neque doctrina, neque facundia praeditum tale opus et  
minime humeris conveniens fuisse ausum aggredi, ut de

Stella matrona summa quadam pietate pudicitiaque insignita hiscerem quicquam. Hanc fortassis ob rem, si ullo modo opusculum illud ad manus posteritatis perveniret, nostris minoribus persuaderetur: Stellam illis virtutibus, quales nobis descriptae sunt, praeditam et ornatam fuisse et scriptoris ineptia dedecori ac turpitudini potius, quam honori praeconium illud futurum esset. Sed cum saepe multum mecum reputavi, penitus timorem illum inanem et curam supervacaneam abieci atque excussi. In mentem enim mihi venit et succurrit Stellae virtutes hominis fraud impudicae ita per totum orbem terrarum diffusas et decantatas esse. Illas quidem summas, ut neque ingenio vel doctissimorum augeri aut obtrectatione minui posset, et ita summas, ut ne cui sit facile, non modo complecti omnes, sed ne minimam quidem portiuunculam enarrare. Quisnam tanta ingenii praestantia est et qui Stellae sanctimoniam, pietatem benignitatemque et omnes corporis et animi dotes explicare, nedum augere queat? Eapropter minores huius summae virtutis non ignari, si forte versus illos rudes lectitabunt, si quid est praetermissum, praetermissa enim multa non dubitabunt, tenuitati ingenioli veniam dabunt existimantes difficilia explicatu esse, vel homini in ea re, cui non medicoris sit exercitatio, si illud, quod a poeta dicitur:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam  
Viribus et versate diu, quid ferre recusent,  
Quid valent humeri,

semper ante oculos scriptorum obversaretur. Nemo profecto esset, cui vires sufficerent ad rem talem. Ego autem non ingenio, neque doctrina fretus hoc sum aggressus et ita aggressus, ut maluerim indicari et aliquid supra vires appetens, quam tantae virtutis apud posteritatem nulla fiat mentio. Cum igitur cernas omnia haec manare ex cumulo quodam observantiae erga Stellam suosque omnis, erit tuae humanitatis pati aequo animo, si quid inconcinne dictum invenies. Hos ergo versus sequentes, in quibus origo Stellae continetur, legas, quos si probaveris, scito me pluris tuum iudicium facere, quam Iovis et Apollinis. Vale.

## SCRIPTURA.

Quia omnes variantes lectiones, quae ad scripturam attinent, in Annotationibus Criticis non annotavimus, ideo utilissimum esse videbatur hanc copiam accuratius studentibus praebere, ubi in parenthesis ( ) inscripsimus, quae lectiones in manuscriptis nonnunquam vel semper proveniunt. Quod et consequentiae gratia et scriptorum antiquorum Romanorum scripturae causa fecimus. Asteriscum (\*) posuimus, ubi ex eadem radice derivata oriuntur (ut exempli gr.: caelum, caelestis).

**Vocales:** *ae* (e): aegis, aequus, aestas, aeternus, caecus, caelum,\* caenum, Caesar, haec, laetus, Lyaeus, paene, prae-, praeco, Ptolemaeus, quae, quaero, saetosus, saevus, taeter; (form)ae — *e* (ae): Bellerophonteus (Bellerophontaeus), ceteri, eloquium, fenum, leno, seclum, seculum — *e* (oe): fecundus, felix, fenum, fenus — *e* (o): Ptolemaeus — *i* (ii): his — *i* (y): Cilices (Cylices), Hannibal, imber, Isiacus (Ysiacus), Phrygius (Phrigyus), sidus — *oe* (ae) moenia — *oe* (e): lagoena, moechus, moenia, Phocbus, proelia — *u* (i): cumba — *u* (o): propuli — *y* (i): Hippolytus, Lyaeus, Phrygius (Phrigyus), thyrsiger.

**Consonantes:** *c* (ch): cadus — *c* (t): crucio, deliciae, iudicium, Marcius, perniciēs, praecocia — *cc* (bc): succurro — *cch* (ch): Bacchus — *ch* (c): pulcher — *ct* (c, t): Quinctius (Quinctius, Quintius) — *f* (ph): fanum — *l* (ll): caligo (-are), mulus, religio, reliquiae, vilis — *ll* (l): sollicitus — *ll* (nl): illino — *m* (mm): sumo — *mm* (m): nummus, summissus, summus — *mm* (nm): immitis — *mns* (ms): contempsi — *n* (m): nanque — *n* (nn): mano — *nn* (n): pannus, — *p* (pp): Apollo — *ph* (f): Phlegethon (Flegeton) — *pp* (p): Iuppiter, puppis — *rh* (r): rhombus — *s* (sc): saevus\* — *t* (c): altior, Curtius, ditia, ingentia, mutatio, nuntio, otium, potentia, -tior, totiens — *t* (th): aeternus, Cato, Phlegethon (Flegeton), Ptolemaeus — *t* (tt): litus — *th* (t): Bartholomaeus, cyathus, Parthicus, Threicius — *x* (s): exupero — *Reliquimus h*: onus (honus).

## ANNOTATIONES CRITICAE.

*Ded(icatio) — Dub(ia) — tit(ulus)*

### *Galeottus Martius: Carmina.*

I. — *M — tit.* De—Orphei] Carmen Galeotti Martii Narniensis de—Orphei (*sic*) incipit *M* — 14. Bittuntaeus] Bitunttaeus *M* — 27. augens] audens *M* — 58. Moribus] Moribus et *M* — nil] illud *M* — 62. Volvebantque] Volebantque *M* — 84. Maronem] Mironem *M* — 97. ergo] ego *M* — 100. nostram] nostram. Finis *M*

II. — *MF, E* (49—100., 127—305.) — *tit.* De—domus] Opusculum Galeothi Martii Narniensis de domina Stella et eius domo, quae Ptolomaea dicitur, incipit foeliciter *M* — 13. quantum cunctis] cunctis quantum *F* — 14. decus] dedis *M* — 16. tenebat] tenebas *MF* — 29. Proeliaque] Praelia atque *F* — 46. cum] tum *M* — 47. amicos] opacum *M* — 52. quo] quod *MFE* — 55. unquam] nunquam *F* — 62. Treguandam] Treguanndam *FE* — 63. Bartholottus] Bartolottus *E* — 67. Narnia] Narnea *MFE* — 72. pollens] polles *FE* — 91. tantum tollet] tollet tantum *E* — 98. superat] superant *MFE* — 107. Rubraque—vincent *om. M* — corallos] coraldos *F* — 115. nares] narres *F* — 117. multum] multus *M* — 132. properatque] properataque *M* — 135. deo *om. M* — 143. sint] sit *F* — 155. Eriget] Friget *M* — 157. corpore, *corr. in* pectore *M* — 162. qua] quam *F* — 167. Constituet] Constituat *F* — 171. referto] resolve *FE* — 184. Hinc] Hic *E* — 191. saxa] sax *M* — 193. genitus Ptolemaea prole] stirpe genitus Ptholemea *E* — prole] stirpe *F* — 209. sese cunctis] cunctis sese *FE* — 215. Quae—dedisti *om. M* — 220. carmine] carmina *FE* — 221. vita] iura *M* — 225. caste] casta *M* — 229. impertit] impartit *M* — 234. magnanimum] magnanimus *F* — 248. longaevusque] longaevosque *F* — instruat] instruit *ME* — 249. reddat] reddit *ME* — 250. monstretque] monstratque *ME* — 251.

qua] qua et *FE* — 255. Magnanimus] Magnanimum *FE* — 264. petiisse] periisse *M* — 275. Zaleucon] Zalencon *FE* — 277. carmina] carmine *M* — 281. Et—ora *om.* *M* — 285. ex] et ex *M* — 296. lumina] nomina *FE* — 298. dearum] deorum *M* — 305. honore] honore. Finis. *TEAOC M*, honore. Finis. Explicit opusculum Galeotti Martii Narniensis de origine dominae Stellae domus et de ipsa domina Stella *E*

III. — *MFES* — *tit.* Carmen—Stellam] Carmen—Stellam ab eodem Galeotto Martio editum *M*, Epitaphion D. S. *F*, Epitaphion carmen in dominam Stellam ab eodem Galeotto Marco Narniensi editum *S* — 4. Assissino] Assisina *S* — 8. haec] hoc *S* — 9. terris corpus] corpus terris *E* — 10. micat] micat. Finis *ME*, micat. Finis. Deo gratias *F*

IV. — *M* — Versus—intercalares] Galeotti Martii Narniensis versus elegi intercalares pro quodam viro, qui conquirebatur se falso esse rerum (*pro:* reum), quod rem cum puella quadam agere voluisset *M* — 3. sagittis] sagittas *M* — 9. arcus] arcus *M* — 17. petiissel] peticusse *M* — 26—28. Atque—innocuo] Detrahit innocuo, detrahit innocuo. Si mihi bambalio seclique infamia nostri Atque hominum monstrum perniciesque virum *M*

V. — *MN* — *tit.* De—magister] Galeotti Marcii Narniensis carmina de—magister *M*, Galeoti Marcii Narniensis versus de—magister *N* — 1. Hesperia] Experia *N* — 2. raserat ante] deposuitque *M* — pilos] pillos *N* — 3. Fibula] Cibula *N* — 7. manuum] manum *N* — 8. nitore] rutore *vel* nitore *N* — 12. colo] collo *N* — 17. melius] moelius *M* — 20. lanians] lanias *N* — unguem] inguen *M* — 23. sonat] sonant *MN* — 25. sic] si *N*

VI. — *M* — *tit.* In—Gentilis] Galeotti Martii Narniensis versus in—Gentilis *M* — 24. duri] duri et *M* — alumnus] alumnus. Galeotti Martii versus in laudem Gentilis expliciunt *M*

VII. — *MLV* — *tit.* De—urbis] Eiusdem Galeotti Martii de desolatione urbis *M*, Carmina Galeotti Martii Narniensis de desolatione urbis Rome *L*, Galeoti Martii Narniensis versus de desolatione urbis *V* — 1. cara *om.* *V* — 18. infidos] invidos *V* — 21. magni] magnum *V* — 23. Creticus] Cretius *MLV* — 24. et *om.* *V* — 52. ciet] ciiet *V* — 59. quantum] quanquam *V* — 60. quantum] quanquam *V* — 61. ergo ducem

*om. L* — 63. galeae] galeeque *V* — choreaeque] corraeeque *M*, correeque *LV* — 65. putant] premunt *V* — 66. certate] certare *MLV* — 68. cados *om. V* — 71. Audiit] Audiitt *V* — 72. grandis] grandes *V* — 73. discas] disca *MLV* — tu nunc] nunc tu *V* — 75. tutus] tutus. Amen *V*

VIII. — *MS* — *tit.* De—temporum] De—temporum Galeotto *S* — 6. nempe] nenype *MS* — mense] mensae *S* — 8. Ambulat] Ambuiat *MS*

IX. — *MS* — *tit.* Versus—praetoris] Versus—praetoris a Galeotto *S* — 2. advortas] advertas *S*

X. — *MS* — *tit.* Distichon in poetam] Disticon in poetam *M*, Disticon in poetam a Galeotto *S* — 2. cotana] cotona *M*

XI. — *M* — *tit.* Ad Federicum Caesarem *om. M* — 7. Zaleucon] Zalencon *M* — 9. empyrio] empyreo *M* — 47. atque *om. M*

XII. — *Vab* — *tit.* Ad Ioannem Pannonium] Galeottus Martius Narniensis ad Ioannem Pannonium *Vab* — 17. vatem] vitam *b* — 19. Ioannes] Iohannes *Vab* — 29. Galeottus] Galeotus *Vab* — 35. Ioannem] Iohannem *Vab* — 40. preces] preces. Vale *Vab*

XIII. — *RSLib* — *tit.* In—Gattamelatam *om. Rib*, Epitaphium eiusdem filii *SL* — 1. Ioannes] Iohannes *RSLib* — Antoni] Anthoni *SL* — 3. non *om. S* — 6. Ingenio] Consilio *SL* — 7. decorant] decorat *i* — pietasque] pietas *SL*

#### *Dubia.*

I. — finisque] finisq.

III. — *eb* — *tit.*

Galeotto Martio philosopho,  
cuius insignem ingenii fecunditatem  
doctrinae ac disciplinarum varietatem et rerum in  
utraque palestra egregie gestarum gloriam posteritas  
venerata effigiem hic publice concivibus spectandam,  
quasi virtutis incitamentum, statuit.

#### *Dedicatio.*

*MFE* — *tit.* Galeottus] Galeotus *M* — Ioanni—salutem] *S. D. Iohanni Asisino F, Iohanni Assissino salutem plurimam*



dicit *E* — 3. sapientissimus—est] prudentissimus est censen-  
 dus *FE* — 4. usu venire] accidere *FE* — litterum monumen-  
 tis] monumentis litterarum *FE* — posteros] posteritatem *FE*  
 — fuere—ingenia] scriptorum ingenia sunt *FE* — 5. Scipio-  
 nes—praeditos] Brutos, Caesares et alios virtute praestantes  
*FE* — nos] manus nostras *FE* — quaedam—monumenta]  
 scriptura *FE* — 6. autumamus] iudicamus *FE* — Catilinas]  
 Cetegos, Neronem, Syllam *FE* — scriptorum—dignos] inge-  
 nia virorum peritissimorum, alteros laude et praeconio sua  
 cum facundia, alteros ignominia et vitio dignos *FE* — 7.  
 nonnullos] multos *FE* — ignari] ingnari *F* — haud digne]  
 indigne *FE* — vel odio] odio *E* — 8. non satis aequo] iniquo  
*FE* — pudicitiaque] et pudicitia *FE* — 9. nostris] ne nostris  
*FE* — virtutibus] virtutibus comunibus *FE* — descriptae]  
 scriptae *FE* — scriptoris ineptia] ineptia scriptoribus *FE* —  
 ac turpitudini] et turpitudini *FE* — praeconium—esset] Stel-  
 lae esset futura *FE* — 10. mecum reputavi] cogitavi *FE* —  
 11. impudicae] imprudentis *FE* — 12. vel *om.* *E* — obtrec-  
 tatione] obtractatione *F* — posset] possit *FE* — sit facile]  
 facile sit *FE* — portinculam] scintillam *FE* — 13. est] et  
 tanta facundia est *FE* — benignitatemque et omnes] erga  
 deos, benignitatem erga omnes et caeteras *FE* — 14. Ea prop-  
 ter—lectitabunt] Si ergo minores non ignari huius summae  
 virtutis lectitabunt, forte illos versus *FE* — ingenioli] nostri  
 ingenii *FE* — difficilia] difficile haec *F*, difficilia hec *E* —  
 15. talem] talem. nec inceptare liceret *FE* — 16. maluerim]  
 maluerim potius *F* — indicari] indicare *FE* — supra] ultra  
*FE* — 17. omnis] omnes *FE* — pati—invenies] si quid incon-  
 cinne dictum invenies, aequo animo pati et in bonam partem  
 ducere accipiendum *FE* — 18. ergo—legas] versus legas,  
 qui de Stellae origine sunt confecti *FE* — tuum—facere]  
 facere tuum iudicium *FE* — Vale] Vale. Finis *ME*

## INDEX NOMINUM.

*Ann(otationes Criticae), Ded(icatio), Dub(ia), t(itulus), v(ide).*

- Aeneas**, v. **Dardanius** dux.  
**Alexander** (Magnus) Macedo Ded 1, 3.  
**Antonius**, frater I. t., 60, 90.  
**Aonides** II. 278.  
**Aonium** nectar I. 1.  
**Aonius** vir XII. 16, 30.  
**Apelles** Ded. 1.  
**Apollo** (Phoebus) I. 70, II. 103, 268, VII. 36, XII. 9, Ded. 18. (II. 276, VII. 57.)  
**Asia** Ded. 1.  
**Assissini** II. 96.  
**Assissinum** nomen III. 4.  
**Assissinus**, Galeottus II. 184. — Ioannes II. 216—17, 234, 303—04, Ded. t., 8.  
**Ausonides** XI. 33.  
**Bacchus** (Liber, Lyaeus, Semeleius heros) VII. 35, 54. (II. 78, 278, VII. 48, 58, 61.)  
**Bartholomaeus** VIII. 7.  
**Bartholottus** eques II. 63.  
**Bellerophonteus** fons II. 6.  
**Bellona** VII. 33.  
**Bertoccus** II. 72.  
**Bindus** II. 26.  
**Bittuntaeus** (frater Antonius) I. 14, 40, 82. — cantus I. 57.  
**Bononia** II. 25.  
**Bruti** Ded. 5.  
**Caesar**, C. Iulius VII. 8, XI. 9.  
**Caesar**, v. **Federicus** Caesar.  
**Caesares** Ded. Ann. 5.  
**Camerina** tellus II. 214.  
**Camilli** VII. 14.  
**Camillus**, M. Furius XI. 16.  
**Capitolium** VII. 6.  
**Castalius** fons II. 277.  
**Catilinae** Ded. 6.  
**Cato**, M. Porcius II. 274, XI. 6, 17.  
**Catones** VII. 43, Ded. 5.  
**Ceres** II. 78, VII. 48.  
**Cethegi** (Cetegi) Ded. Ann. 6.  
**Charon** I. 5.  
**Christus** II. 164.  
**Cilices** VII. 42.  
**Cincinnatus**, v. **Quinctius** Cincinnatus, L.  
**Cornelius** Scipio Nasica, P. VII. 19.  
**Corvinus**, v. **Hunnus** (Mathias Corvinus, rex Hungarorum).  
**Crassus**, M. Licinius VII. 11.  
**Creticus**, v. **Metellus** Creticus, Q. Caecilius.  
**Cupido** VII. 35.  
**Curii** VII. 15.  
**Curtius**, M. VII. 16, XI. 18.  
**Cybele**, Phrygia VII. 12.  
**Cyllenius** (Hermes) II. 172. (II. 175.)  
**Cyprica** dea (Venus) I. 72, III. 6, 105. (VII. 35.)  
**Dardanius** dux (Aeneas) II. 272, XI. 7.  
**Decii** VII. 17, Ded. 5.  
**Decius** Mus, P. XI. 17.  
**Diana** (Phoebæ soror) IV. 2, 10, 20, 30, 40. (II. 118.)  
**Elysi** I. 9.  
**Ericto** VII. 37.  
**Federicus** Caesar (III.) XI. t., 5, 16, 46.  
**Ferraria** II. 93, 203.  
**Franciscus** divus II. 90.  
**Fulcinium** II. 214.  
**Galeottus**, v. **Assissinus** Galeottus.  
**Galeottus** Martius Narniensis I. 91,

- XII. 29—30, Dub. III. 2, Ann. Dub. III. t.  
**Gattamelata**, Ioannes Antonius XIII. t., 1, 7.  
**Gentilis** VI. t., 1.  
**Germania** II. 27.  
**Graecia** Ded. 1.  
**Grossetum** II. 80.  
**Hannibal** VII. 43.  
**Helicon** II. 219.  
**Hermes** (Cyllenius) II. 175. (II. 172.)  
**Hesperia** V. 1, XI. 43.  
**Hesperiae** orae II. 31.  
**Hiberi** VII. 18.  
**Hippolytus** IV. 8.  
**Hunnius** (Mathias Corvinus, rex Hungarorum) Dub. III. 3.  
**Iacobus** II. 66.  
**Iacobus** II. 202, 215.  
**Ianus**, v. Ioannes (Ianus) Pannonius.  
**Ioannes** II. 193.  
**Ioannes** (Ianus) Pannonius XII. t., 1, 19, 35.  
**Isiaca** dea VII. 38.  
**Itali** XI. 1.  
**Iuppiter** II. 48, 65, Ded. 18.  
**Lares** I. 78.  
**Latium** I. 26, II. 3.  
**Latius orbis** VI. 1.  
**Liber** (Bacchus, Lyaeus, Semeleius heros) II. 278. (II. 78, VII. 35, 48, 54, 58, 61.)  
**Loredanius**, Franciscus IX. 1.  
**Lucretia** IV. 7.  
**Lucullus**, L. Licinius VII. 10.  
**Lyaeus** (Bacchus, Liber, Semeleius heros) VII. 48, 61. (II. 78, 278, VII. 35, 54, 58.)  
**Macedo**, v. Alexander Macedo.  
**Macedonia** Ded. 1.  
**Malus mensis** VIII. 6.  
**Marcus**, L. Septimus VII. 18.  
**Maria** II. 133, 194.  
**Marii** VII. 43.  
**Marius**, C. XI. 16.  
**Mars** (Mavors) VI. 15, VII. 33. (II. 284, VI. 24, VII. 33, 71.)  
**Martius**, v. Galeottus Martius Narniensis.  
**Mathias**, v. Hunnius (Mathias Corvinus, rex Hungarorum).  
**Mavors** (Mars) II. 284, VI. 24, VII. 33, 71. (VI. 15, VII. 33.)  
**Mercurius**, v. Cyllenius, Hermes.  
**Metellus** Creticus, Q. Caecilius VII. 23.  
**Metellus** divus VII. 15, XI. 17.  
**Musa** II. 218, 304, XII. 1, 9, 20, 23, 31.  
**Nar** Dub. III. 3.  
**Narnia** II. 67.  
**Nasica**, v. Cornelius Scipio Nasica, P. Nero, Tib. Claudius Ded. Ann. 6.  
**Nysaeus** vertex II. 278.  
**Olympus** II. 48, 63, 134, XI. 9.  
**Orpheus** (Threicius vates) I. t., 3. (I. 11.)  
**Palatia** VII. 7.  
**Pallas** (Minerva) VI. 24  
**Pannonia** XII. 26, 34.  
**Pannonius**, v. Ioannes (Ianus) Pannonius.  
**Parca** XII. 36.  
**Parthica** regna VII. 42.  
**Persicum** (malum) X. 2.  
**Petrus** II. 18.  
**Phlegethon** I. 4, II. 165.  
**Plerides** II. 5, 266, XII. 28.  
**Phoebea** soror (Diana) II. 118. (IV. 2, 10, 20, 30, 40.)  
**Phoebus** (Apollo) II. 276, VII. 57. (I. 70, II. 103, 268, VII. 36, XII. 9, Ded. 18.)  
**Phrygia** Cybele VII. 12.  
**Pompeius**, Cn. VII. 10.  
**Ptolemaea** domus II. 294. — gens II. 43, 296. — proles II. 193, 283. — propago II. 91, 301, III. 3. — stirps II. 96, 183, 216.  
**Ptolemaeus** II. 1, 41, 52, 83, 84, 166, 168, 170, 174, Ann. II. t.  
**Ptolemaeus** sanguis II. 292.  
**Quinctius** Cincinnatus, L. VII. 20.  
**Quirinus** (Romulus) VII. 71. (VII. 5, XI. 45.)  
**Quirites** VII. 41, 66.

- Raimundus** II. 24.  
**Roma** II. 25, VII. 2, XI. 2, 19, Ann. VII. t.  
**Romana** virtus VII. 17.  
**Romani** VII. 27, 42.  
**Romanus** VII. 40, 70. — populus VII. 69.  
**Romula** terra XI. 15.  
**Romulidae** VII. 46.  
**Romulus** (Quirinus) VII. 5, XI. 45. (VII. 71.)  
**Scipiadae** duo VII. 15. — gemini XI. 18.  
**Scipio**, v. Cornelius Scipio Nasica, P.  
**Scipiones** Ded. 5.  
**Semeleius** heros (Bacchus, Liber, Lyaeus) VII. 58. (II. 78, 278, VII. 35, 48, 54, 61.)  
**Sena** II. 37, 83.  
**Setinum** nectar VII. 47.  
**Siculae** orae VII. 55.  
**Stella** II. t. 100, 110, 122, 137, 140, 154, 158, 160, 168, 169, 298, 305, III. t., 2, 10, Ded. 8, 9, 11, 13, 17, 18. Ded. Ann. 9.  
**Sulla** (Sylla), L. Cornelius Ded. Ann. 6.  
**Tarquinii** Ded. 6.  
**Threicius** vates (Orpheus) I. 11. (I. t., 3.)  
**Tisiphone** VII. 37.  
**Tusci** colles II. 34.  
**Valdestriccus** II. 30.  
**Veneti** VI. 3.  
**Venus** (Cypriaca dea) VII. 35. (I. 72, III. 6, 105.)  
**Vergilius** Maro, P. I. 84, V. 14, 22.  
**Zaleucos** (Zaleucus) II. 275, XI. 7.

## ARGUMENTUM.

Praefatio	III
Introductio	IV
I. De vita operibusque Galeotti Martii	IV
Vita	IV
Opera	V
II. De carminibus Galeotti Martii	V
III. De codicibus et editionibus carminum	VI
a. Codices	VI
b. Editiones	VII
Galeottus Martius: Carmina	1
I. — De laudibus et comparatione fratris Antonii et Orphei	1
II. — De domina Stella et origine suae domus	3
III. — Carmen epitaphium in Stellam	10
IV. — Versus elegii intercalares	10
V. — De mulo volente esse scholae magister	11
VI. — In laudem Gentilis	11
VII. — De desolatione urbis	12
VIII. — De mutatione temporum	14
IX. — Versus sub insignis cuiusdam praetoris	14
X. — Distichon in poetam	14
XI. — Ad Federicum Caesarem	14
XII. — Ad Ioannem Pannonium	15
XIII. — Ad Ioannem Antonium Gattamelatam	16
Dubia. I—III.	17
Dedicatio ad carmina II. et III.	18
Scriptura	20
Annotationes Criticae	21
Index nominum	25

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED — HUNGARIA

IN LUCEM PRODIERUNT :

Saec. XII—XIII.

**P. magister**, quondam Bele regis Hungarie notarius :  
Gesta Hungarorum. (*L. Juhász*) 1932.  
Pengő 6.—                      Lire 20.—                      RM 4.40

Saec. XV.

**Galeottus Martius** : Carmina. (*L. Juhász*) 1932.  
Pengő 2.80                      Lire 9.20                      RM 2.—  
**Galeottus Martius** : Epistolae. (*L. Juhász*) 1930.  
Pengő 2.—                      Lire 6.60                      RM 1.50

Saec. XV—XVI.

**Fontius, Bartholomaeus** : Epistolae. (*L. Juhász*) 1931.  
Pengő 7.—                      Lire 23.—                      RM 5.20

IN LUCEM PRODIBUNT :

Saec. XIV.

**Chronica Hungarorum.** (*L. Juhász*)

Saec. XV.

**Callimachus Experiens** : Attila. (*T. Kardos*)  
**Galeottus Martius** : De dictis ac factis regis Mathiae. (*L. Juhász*)  
**Galeottus Martius** : Invectivae in Franciscum Philelphum. (*L. Juhász*)  
**Ransanus, Petrus** : Epitoma rerum Hungararum. (*L. Juhász*)  
**Seneca, Thomas** : Historia Bononiensis. (*I. Fögel*)

Pretium huius voluminis :

Hungaria	Italia	Germania
Pengő 2.80	Lire 9.20	RM 2.—